



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

2. An similiter teneantur obstetrices?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

## QVÆSTIO II.

*An similiter teneantur Obstetrices.*

Quæstionis explicatio.

**Q**Via obstetrices ex officio tenentur mulieribus adesse in partu, ad adiuuandum & facilitandum partum, & frequenter eo tempore proles non solum corpore periclitantur propter contagionem, sed etiam anima, propter absentiam ministrorum baptismi. Quæritur non immerito, an obstetrices in huiusmodi necessitate paruulos peste infectos aut de ea suspectos, teneantur baptizare, & qua obligatione?

*Responsio.*

Tenantur non solum peste infectos, sed & alios quoscunq; paruulos de vita in partu periclitantes, etiam ex debito iustitiæ baptizare, ut probant Paludanus (a) & Antonius (b). Sic enim Paludanus: *Non omnium tenentur (inquit) ad sciendam formam Baptismi, nisi quibus incumbit ex officio, ut Curatus & Obstetrix: non enim alia de causa tenentur scire formam, nisi ut tempore exigente illa videntur.*

Dices: Nullum est præceptum, quod obste-

*a In 4. dist.**3. q. 2. n. 7.**b p. 3. c. 13. §.**4.*

obstetrices ad baptizandum paruulos ob-  
liger: non naturale, quod ad iustitiam per-  
tinet, quia ex vi sui muneris non tenetur  
obstetrix ad curandam salutem animæ pu-  
eri, sed solum ad cooperandum natiuitati  
corporali eius: neque est præceptum cha-  
ritatis, quia licet supposita necessitate pu-  
eri teneatur quilibet eum baptizare, si po-  
test, vt in sequentibus ostendemus, & prædi-  
di authores & omnes docent; non tamen  
tenetur vnusquisque esse paratus & instru-  
ctus ad dandum baptismum, si fortasse in-  
ueniat puerum in necessitate constitutum,  
ergo neq; charitas obligat obstetricem ad  
huiusmodi præparationem, quia licet for-  
tasse sæpius in eo munere accidat, tamen ra-  
rissime euenit, vel non adesse aliquem ali-  
um, a quo possit infans baptizari, vel neces-  
sitate esse tantam, vt non possit cito vo-  
cari & expectari. Neque est præceptum ec-  
clesiasticum, quia nusquam tale legitur. Ita  
argumentatur (a) Suarez.

a Tom. 3. de  
Sacra. disp.  
51. sect. 5. §.  
rursus ex hoc  
principio.

b Parochial.  
Treueræ, p. 1.  
pag. 3. Leod.  
in fin. Rure-  
mund. in fin.

Respondeo. In his (b) prouinciis & re-  
gionibus obstetrices obligari ad baptizan-  
dum pueros, si non ex vi sui muneris sim-  
pliciter, certe ex iuramento & pacto, quo  
inter cetera promittunt curare salutem  
non solum corporis, matris & prolis,  
sed etiam salutem ipsius animæ, vt patet

K 2 ex for-

21. Tim. 2.

ex formula iuramenti illis præscripta.

Dices secundò: Obstetrix (a) mulier est, cui non licet vel os aperire in Ecclesia: male ergo illi officium spirituale baptizandi imponitur.

R. Non imponi simpliciter, sed in casu videlicet periculosi & difficilioris partus, cui facilirâdo ex officio adesse tenet. Cum enim sæpe accidat, ut experiëntia docet, propter difficultatē partus periclitari salutem non solū corporis, sed & animæ ipsi⁹ prolis, nisi baptizet, & nullus fere præter obstetricem propter pudorē interessē solet, videtur prudenter factum, ut obstetrici in illo casu hoc officii demandatum sit.

## QVÆSTIO III.

*Absentibus siue iuste siue iniuste, vel etiam mortuis vel peste infectis pastore & obstetrice, an teneantur alij huiusmodi pueros baptizare.*

Quæstionis explicatio.

Cum sacramentum baptismi sit pueris ad salutem absolute & simpliciter necessarium, ut ante ostendimus, & ex altera parte fieri possit, ut pastor & obstetrix, qui ex lege iustitiæ illud ministrare debent, pe-

ste in-